



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Francisco De Sanctis, Panegyricum Summi Sacerdotis Hispanicè ab eo
scriptum commendat. Ode XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Heröum, atquè operum magnorum !) ardentiùs instat
 Externas dirare per vrbes
 Et mores animum solers . Iam Gallicā pridē
 Aula vagum formauit alumnū ,
 Nobilibusq; auxit monitis ac dotibus . Indē
 Hetruscas perrexit ad oras
 Mecenatis amans, genio mirè eximulus alto :
 Fortè etiam remeabit Achates
 Augusto ipse suo . Nequè enim pars parua merendi
 (Quippe fidem Rex respicit exul)
 Dossintæus erit genitor, Vencotria mater ;
 Vtraque gens complexa Senatum .
 Mens eadem nato diuinitis incidit erga
 Seu patriæ, seu regis honores .
 Hunc tu, Iane pater, meliori conspice fronte ,
 Quaque vides ventura, doceto
 Mense foroquè tuo, cunctantem Martis in vrbe .
 Interè Capitolia lustret
 Te duce, perdiscatq; viam, portamq; triumphi ;
 Dicquè, Hac ibis tu quoquè quondam .
 Tum voti plenus patrias referetur ad ædes :
 Lætus ego Pæana sonabo .

FRANCISCO DE SANCTIS,

Panegyricum Summi Sacerdotis Hispanicè ab eo scriptum commendat.

ODE XV.

A Eterni patris ac regis, qui sidera torquet ,
 Mundumq; nutu conçutit ,
 Iessæus potuit vates præconia dignè
 Cantare, rex idem & pater .
 Ecquis Alexandrum, cui cura vicaria cessit
 Magni per orbem numinis ,
 Laudârit Sanctum potius te, SANCTE, viroquè
 Summum Sacerdotem sacro ?

Adde ,

EPODON LIBER. 173
Adde, quod Hispano tollis setmone merentem:
Hoc Dauid est yno minor.

AD ONVPHRIVM CAMPOREVM,
PATRITIVM MVTINENSEM.

Quod pace illius fiat contra suadentis, se iam quadra-
genarium multam Heliconi cum Musis & versibus
salutem dicere. His hactenius & animo induluisse, &
immortalitati nominis consuluisse: in posterum com-
moditati vita medicina factitanda unice prospectu-
rum. Balduccij poetae ridicula moribundat vox, &
inhonestus exitus.

O D E X V I .

E Sto meam laudare lyram iam finis, ONVPHRI,
Semper benigne seruulo;
Quem factis etiam cumulasti grandibus, & quem
Nexus aeris ac libræ tenes.
Pileolum capiti, seu vis imponere virgam,
(Diebus ut Decembribus,)
Optatum façies, vernæ cùm dicere ius est,
Hoç nolo, regi Romulo.
Parce igitur iussis, stomachum vel habere memento
Aduersus insolentiam.
Alter Apollo vocat. Valeant cùm carmine Musæ,
Florentis æui gaudia.
Tempus erat plenis, octauo denique lustro,
Mutare gemmas fructibus.
Nolo ego tam steriles in vita commoda plausus;
Auram nec exugo meram.
Hispanas hæc implet equas, nanumquæ leonem:
Me fama benc pastum iuuat.
Quanquam nec meritos inuidit Phœbus honores,
Et nomen extentum volat
Iamidudum, quæ Roma aquilas, & soluere fasces,
Aut linguam amavit Græcia.

Ame-